Consultation sur un ulcère à la vessie — inutile aux progrès de l'art

historia morbi.

Gratiosus et Excellens Dominus Vir Sexaginta unius annorum Temperamenti cholerico sanguinei, mediæ staturæ, optimæ Constitutionis tam vasorum sanguiferorum quam tendinum et nervorum, a juventute perfecte sanus existebat. omnium actionum exercitatissimus ac alacris in cunctis actionibus; potuerat absque ullâ incommoditate vehi, equitare, ambulare ubique utcunque, omnique tempore et tempestate vel serenitate, æstate hyemeque hilaris ac sanus, appetitu laudabili gaudebat, cibis variis ac vino diverso fruebatur absque ullo sanitatis dispendio. verbo: actiones naturales, animales ac vitales perfectissimæ erant per integrum vitæ decursum. hæmorragias narium nullas passus est, verum hæmorroïdes cœcas internas ante septem et plures annos sæpius sensit. Tredecim abhinc annis, et etiam antea sabulosam materiam habuerat et tandem aliquando ante duodecim annos calculum fabæ magnitudine excrevit, posthac, et ad hunc usque diem, nullum nisi sabulosam materiam quæ adhuc continuat, peperit; moderno tempore doloribus circa lumbos aut renes immunis est verum enim vero tempore quatuor annorum sensim sensimque in regione pubis aut in vesicâ dolorem fere continuum accusat. Consuluit hunc in finem varios in diversis facultatibus medicos qui fere ad unum omnes calculum verum putarunt, præsertim cum aliquando unum pepererat. variâ remedia in- et externa applicata sunt absque ullo effectu. adhibitæ etiam sunt aquæ minerales sed similiter cum effectu frustraneo. venæ sectionem nunquam consuetam habuit; sanguisugæ aut scarificationes etiam non sunt ordinatæ. Alvus, quæ alias quotidie absque ullo dolore respondebat, nunc etiam modo ordinario sequitur; lotium quod similiter in naturali statu effluxerat nunc dolorem quandoque in vesicâ efficit. rebus sic stantibus bene existimabatur per catheterem intra vesicam leniter immissam explorare, utrum verus calculus adsit, sed nullum ejus vestigium sentiebatur. magis, cathetere extracto in ejus apice paucum sanguinis cum materiâ purulentâ videbatur. Putaverunt medici forte per catheteris immissionem aliquid læsum fuisse.

Notandum etiam est quod ultimis 4. annis fere semper post equitationem aut vecturam vehementem sanguinem

minxerit, nunc autem quia nec vehi nec equitare potest nullum Sanguinem mingit, Sed urinâ bené perspectâ percipiuntur tenuissimæ cuticulæ cum materiâ mucidâ purulenta et quo plus ejusdem particulæ in fundo excernuntur, eó plures dolores sentiuntur: nunc etiam actiones naturales et vitales pati incipiunt Siquidem alvus, licet officio suo functa sit, irritatur denuó ad evacuandum, quasi nova sedes sequi vellet, respiratio alias liberrima nunc paululum difficilis prodit. vires olim perfectissimæ jam deficere incipiunt et totus taediosus fit.

Medici diversi diversé morbum agnoverunt, unus adhuc Calculi præsumptionem habet, alter appellat Statum Dysuriam, alius Stranguriam. Sed morbus non solúm non est ablatus, nequidem sublevatus est. quæ cum ita sint quæritur 1°. qualis morbus hic Status sit?

2°. quæ ejus origo existat

3°. Quomodó Curatio sit instituenda tam interné quam externé?

4°. Qualis diæta sit observanda tam in cibo et potu quam in somno, motu et quiete.

5°. utrúm penés artem medicam etiam arte chirurgicâ opus sit?

6°. an operatio manualis sive sectio requireretur?

7°. an opus venæ sectione? quot vicibus per annum et quâ in parte? brachio aut pede?

8°. Siquidem Alvus difficultér respondet quale remedium lene ad sedem leniter promovendam dari possit securé; cum alvo non respondente omnes motus ad caput et pectus tendant?

9°. Quandó curatio instituenda sit? an periculum in morâ existat.

Postquam integrum morbum cum cunctis Symptomatibus bené et sæpius perpendi, credo firmitér (salvo tamen meliori) secundum leve meum judicium et respondeo ad

1[um] Quod iste Status non possit alitér appellari quam ulcus vesicæ urinariæ, omnes Circumstantiæ, ut poté prægressus Sanguinis fluxus post equitationem aut vecturam, continuus feré dolor in pubis regione, moderna incapacitas equitationis et vecturæ post alvi evacuationem novus ad sedem stimulus, post catheteris explorationem in illo infixum pus purum sanguine tinctum, quotidianæ cuticulæ cum puro pure in fundo matulæ et vitri

et quidem quò plures eò frequentiores dolores, progressæ sæpiùs hemorrhides cœcæ internæ quæ alioquin communicationem cum vesicâ urinariâ habent, dolor in vesicâ hac firmam sedem observans, progressus etiam calculus, frequensque urinæ stimulus produxit hunc affectum. verum est pauci autores scribunt de hoc affectu, pauciores curant illum, paucissimè autem iste agnoscitur. qui omnium optimus autor mihi arridet est iste Riverius qui tam in- quam externè latèque de isto statu discurrit. ad

2dum. Respondeo originem ejus existere partim ex progressis hæmorrhoidibus cœcis quæ intra vesicam micrum elique stagnarunt et in putredinem abierunt, partim ipse calculus partem sphincteris irritavit et arrosit. remota etiam causa est ipsa frequens equitatio fluxum hemorrhoidalem et calculum illuc promovens

3º Quod curationem attinet, in et externa curatio summè requiritur et quidem ventilationis scopo, venæ sectionem in brachio ob derivationem peragere et hoc anté omnia debet fieri, postea lenissima laxatio Nº 1º descripta instituenda est. dein serum lactis dulce vaccinum bené præparatum quotidié matutino tempore bibendum, simulque decoctum sanguinem purificans et demulcens pro potu ordinario et gustu sumendum Nº 2º præscriptum. ope autem catheteris in vesicam urinariam immissi injectionem Nº 3º præscriptam usurpare sub doloribus ipsum liquorem anodynum mineralem Hoffmanni cum aquis antispasticis sumendo. ad

4dum. omnes cibos austeros, salitos, difficilis concoctionis, duros, flatulentos ac nimium conditos summé evitare, potus sit decoctum anteà dictum, sub cibo paucissimo vino frui et hoc optimo vetustissimo, somnus debet esse de nocte circa horam decimam in ordine. septem horis dormire sat est juvenique senique. motus paucissimus debet esse, magis quies ne dolorem vehementiorem causet.

5º jam responsa est quæstio sub Nº 3º præadicto

6º Operatio manualis præsertim in sene est periculosa.

7º videatur Nº 3º modo dictus

8º -

8° Similiter eum loco jam responsa est.

9° Credo quod ipsum ulcus quotidie crescat, ideoque nullam moram requirit, sed quo citius eo securius instituenda curatio in- et externé.

Supplément du 19 août 1762.

Nota. Tempore aliquot mensium sub catheteris cum dolore applicatione carunculæ in urethrâ sentiuntur. Cathetere enim ab urethrâ extracto visebantur striæ sanguineæ cum pure, licet catheter intrà vesicam non erat immissus, sed tantum ad sphincterem usque, cum enim pus purum sub urinæ emissione per 4 menses et ultra semper continuat, nempè a primis duabus vicibus applicatis in vesicam injectionibus, et dolores fermè etiam continui, plus et minus præsertim sub urinæ effluxu cum conatu. ante aliquot septimanas, post remedia aliquot adhibita, nescio qualia, febrim inflamatoriam accepit, quæ curabatur remediis appropriatis quorum formulæ hic sequuntur, subsequente diarrhœa virid. et nigerrimâ. ab eo tempore multæ vires sunt deperditæ et corpus emaciatum, quæ ulteriorem medicationem impediunt, siquidem persuasus sum rebus sic stantibus a mercurio delii pro nunc desistere, viribus autem iterum temperatis optimum effectum expectandum esse ab illo ritè et leniter præmissis præmittendis, adhibito, etenim licet secundum domini patientis verba vel gonorrhœam vel ejusmodi morbum per 30 annos non adfuisse: credibile tamen est adhuc tale virus latitare, præsertim circà partes genitales. utrum senectus sit obstaculum meliori relinquitur judicio.

no 5